

M. 4 p. 2, 21.
Bibl. Bonn

4. W. 97
1-60.

W

4 W 97/ 1-60. Enthält:

1. Henrici IV... Franciae Regis laus posthumum... Köln 1623.
2. Dornavius, Caspar: Allocium... Bethaniae 1619.
3. Maximilian III. Exner, Balth.: Oratio panegyrica... Schönauich o.J.
4. Albert, Erz. + Schulcken, Ad.: Oratio funebr... Köln 1621.
5. Dorothea Sybilla, Herz. v. Schles. + Bonae memoriae... Ged. v. Martin Opitz. o.O. u. J.
6. Mauritiz F. v. Aurich, Graf v. Nassau + Heinsius, Daniel: Laud. fun. Lüneburg o.J.
- 6a Promnitz, Seyfrid- Vita von Martin Opitz. Brieg 1624.
7. Buquoi + Laus posth... Köln 1623.
8. Dobschütz, Adam + Epicedia... Breslau 1624.
9. Stang, Heinr. v. - Ged. auf ihn v. E. Sperer u. Mart. Opitz. o.O. 1626.
10. Stitten, Hartwig v. + 1622- Rector David Origanus... invitat (Frankfurt a.O. o.J.)
11. " " + Oratiuncula... v. Chr. Neander 1622
12. Stitten, Magd. v. + 1622- Rector David Origanus... invitat. Frankf. o.J.
13. " " - Oratiuncula v. Chr. Neander o.O. 1622.
14. Bibran, Nicolaus v. + 1626- Ad justa... v. Valent. Ludovici. Liegn. 1626.
15. Pucher v. Puchen, Joh. + 1625- Epicedia carm. Vrat. o.J.
16. Saurman, Sebaldu + 1616- Gram. lug. o.O. 1617.
17. Meisner, Balth. + 1627- Oratio... Erasmus Schmidt. Witt. 1627.
18. " " Epicedia. Witt. 1627.
19. Affelmann, Joh. + 1624- Memoria... v. Ernst Coch. Rost 1625
20. Rohn, Georg + 1625- Epicedia. Vrat. 1625.
21. Seidel, Georg + 1626 Carmina epicedia. Vrat. 1626.
22. Thebesius, Petrus + ... Arae honorariae. Liegn. o.J.
23. Weiskegel, Gregor + 1625. Obitum... lugebant... amici. Vrat. 1625.
24. Cyrenberg, Joh. + - Musae exsequiales. o.O. u. J.
25. Lange, Wolfgang + 1621- Exsequiae. Schweidn. 1621.
26. Kleinschmidt, Peter + 1623 Monumentum... Argent. 1623.
27. Rhenisch, David + 1624- Pietate... Lips. 1624.
28. " " Entaphia... carmina. Vrat. 1624.
29. " " ... Fautores, amici Lips. 1624.
30. " " ... Arae exsequiales Liegn. 1624.
31. " " Tymologiai... metr. Brieg 1624
32. Bresler, Georg + - Rector I. Bacmeister... invitat. Rost. 1626.
33. " " - Beatiss: Manibus... Rostock 1626.
34. Reysingh, Sebast. Hennemann + In obitum... epicedia. Vrat. o.J.
35. Haunold, Joh. Sig. † 1626. Pius obitus... Vrat. 1626.
36. Jessensky v. Jessen, Joh. Carl + 1625. Carm. fun. Bresl. 1625.
37. Schertz, Martin + 1726 1627. Memoriae... o.O.
38. Baudisius, Daniel + 1618. Exsequialia. Liegn. 1618.
39. Baudisius, Gottfr. + 1623- Memoria. Liegn. 1624.
40. " " Funus... honoratum. Liegn. 1624.
41. Weisskegel, Joh. + 1624. Epicedia. Vrat. 1624.
42. Bachmann, Heinr. + - Memoria. Liegn. o.J. (1626).

43. Sophia, Kurf. v. Sachsen + 1622- Oratio fun. v. P. Helmreich. Witt. 1623.
44. " " Oratio in exsequiis v. Joh. Friderich. Lpz. 1623.
45. Dorothea Sybylla Herz. v. Schles. + Corona... von Melch. Lauban . Brieg 1625.
46. " " *Lacrymae sacrae*...carm. o.O. 1625.
47. " " *De curia meletematum*... G. Maerisch. Brieg 1625.
48. Leuschner, Cath. + 1625- Monument. parentat. Öls 1625.
49. " " *Monodiae*. Öls 1625.
50. " " *Paramythion*... Öls 1625.
51. Haunold, Margarita + 1625. In obitum... Vrat. o.J.
52. Scher, Rebecca + Exsequialia. Liegn. 1624.
53. Titschardt, Anna + 1625. Carm. lug... Vrat. 1625.
54. Hermann, Anna + 1626. Consolatoria carm... Bresl. 1626.
55. " " ~~Empiria~~ *Empiria*...v. Sam. Butschky. Bresl. 1626.
56. Curtzmann, Eva + 1627. Vivax fama...Vrat. 1627.
57. Gerhard, Anna Maria + 1623. Lessus... Öls 1623.
58. Gerhard, " " In obitum inop. Öls 1623.
59. Hossmann, Barbara, Anonyma, Dorothea, Maria + 1624. Quadruplex... funus (Liegn.) 1625.
60. Baudisius, Christoph u. Cath. +. Funerea...cupressus. Liegn. 1626.



Misc. 4. no 2. 21.

HENRICI IV.

CHRISTIANISSIMI
FRANCIÆ ET NAVAR-
RÆ REGIS.

LAVS POSTHVMA

In qua

Res præcipue ab eo gestæ, & fatalis occa-
sus Elogio funebri & Historico,
describuntur.



COLONIÆ,
Apud Conradum Butgenium,
Anno M. DC. XXIII.


MISSISSIPPI
FRANCIA ET NAVARRAE
REGIS

ANNO 1555

Res p[ro]p[ri]a de ... & fatalis occa-
sione ... & Historico

BIBL.
VAT.

BIBL.
VAT.



537302

Alph. Comandani ...

ELOGIVM
FVNEBRE
HENRICO IV. MAGNO
ILLI HEV! QVONDAM FRANCIAE
ET NAVARRAE REGI DICTVM.

BSTVPESCITE caeli, & desolami-
mini vehementer. Cur enim mihi
in tam horribili casu, cum diuino
vate, ita exclamare non liceat? Cur
non cum eodem in tanto luctu,
fontem mihi lacrumarum exoptem, vt HEN-
RICI IV. Francorum Regis Optimi Maximi
indignissimam necem dignis modis deplorē?
HENRICI inquam Regis, cuius vel nomine au-
dito, aliquid mortali conditione maius, oculis
atque animis obuersatur. Hei mihi! siccine
qui vocem ac stilum ad tanti Regis res gestas
& laudes praedicandas describendasque acue-
ram, eadem iam ad luctum accommodare co-
gor? O mors inexorabilis! cur ei vitam eripui-
sti, pro quo tot hominum millia vitam pro-
fundere parati erant? Quid? ergo etiam ad
summos Principes & Monarchas illud perti-
net quod ab hominum patientissimo de sin-

A ; gulis

gulis hominibus dicitur : *Tu Domine, diebus eius limites posuisti, quos nequaquam transgredietur?* Ergo de Regibus etiam vates loquitur, quando ait: *Omnis caro fœnum est, & gloria eius quasi flos agri?* Illi igitur quum singulari gratia coelitus quasi ad regendum hominum genus in has terras demittantur, communi nihilominus hominũ sorti & conditioni obnoxij sunt, ac non potius exempti rigida illa in primũ nostri generis parentem lata sententia: *pulvis es, & in puluerem conuertèris?* Ita est, profecto. omnes etiam Reges ac Principes, cum reliquo hominum genere dicere coguntur, *Ecce morimur omnes, & tanquam aqua, dilabimur in terram.* Sic nimirum diuini numinis omnipotentia tanto magis elucet, vt qui solus vitam ac mortem omnium hominum in sua habet manu & dispensatione. Quam quidem multis rebus gestis clarissimus ille Franciæ Rex Clotharius primus optime agnouit, inter acerrimos ardentissimæ febris dolores Compendij, post regnum per quinquaginta annos varia fortuna administratum, iam morti vicinus ita exclamans: *Ah? quam fortis, quam metuendus est magnus ille Rex cœlorum, qui tam*
magnos

magnos etiam Reges mori iubet? Vtinam, Clothari Rex, æternum Galliæ ornamentum, tua hæc vox non Regum modo ac Principum, sed omnium hominum aures quotidie circumsonaret, eiusque memoria animis continuo obuersaretur! Mortis enim lex omnibus quicunque in hanc lucem nascuntur, est proposita: adeoq; nemo est nec Regum nec subditorum, nec diuitum nec pauperum, nec bene nec male fortunatorum, qui vbi vitæ cursum confecerit, metam hanc vitare aut prætergredi possit; vbi mors eum exspectans, ad sempiternam vel felicitatem vel miseriam aditum patefacit. Interim vero, decurrente vitæ huius stamine, fit vt illi quoque qui viuentes vniuersum mundum armorũ suorum metu impleuerunt, qui terras & maria suo subiecerunt imperio, qui vrbes & populos subiugarunt, tandem cum Cyro (at quo Rege?) miserandam hanc inscriptionem sepulcris suis & monumentis incidi iubeant: *O homo quisquis es, & undecumq; venis (venturum enim te certus sum) si quis sim scire cupias, paucis accipe. Cyrus sum Persarum rex atq; Imperator. Hoc solum nunc rogo te, ne tantulum terra quantum corpus me-*
um

um regit, mihi inuideas. Quorum verborum le-
ctione & tristi humanarum rerum inconstan-
tiæ speculo atque exemplo Magnum illum A-
lexandrum adeo commotum ferunt, vt à la-
crymis sibi non temperarit.

Sed quorsum ego doloris violentia ceu tor-
rente quodam abripior? Cur non potius res à
Rege nostro, bello ac pace præclare gestas, ei-
usq; summa & incomparabilia in regnū Gal-
licum, immo vniuersam Christianam Rem-
publicam merita summam persequor? vt eius
laudibus audiendis, animus aliquantisper à do-
lore abducatur. Quamquam hoc ipsum re-
medium vereor ne maiorem nobis luctum
pariturum sit, dum qualem ac quantum Prin-
cipem ætas nostra amiserit, anxij cogitamus.
Verum enim vero dolori eo vsque indulgen-
dum meminimus, ne spei, profanis incog-
nitæ, obliuiscamur, aut eius felicitati, qui post
depositas corporis exuias, in altera illa vita
cum Christo, vt pie speramus, regnat, inuide-
re videamur.

*Natales
Henrici IV
Francorū
Regis.*

Sed vnde potissimum in tot ac tam magnis
laudum argumentis & infini materiæ varie-
tate initium sumemus? An inde, vnde magnus
noster

noster Rex vitæ initiū accepit? At profecto ea
stirpe natus fuerat, vt ad summū decus nulla
alia cōmendatione opus habuisse videatur; tot
vero tantaque res gessit, vt si vel ignobili pro-
sapia fuisset ortus, omnium tamen nobilissi-
mis totius orbis Principibus non modo com-
parari possit ac debeat, verum etiam præferri.
Ingens quidem fortunæ munus est, inclytā
stirpe prognasci: id tamen ijs in locis multo
dignius est atque illustrius, vbi ipsa sola nasce-
di forte ac conditione ad Principatus & regna
homines vocantur. Quo lubentius heic Hen-
rici Borbonij, magni Franciæ & Nauarræ Re-
gis, natales paullo altius repetemus, non mo-
do, vt regiæ huius familiæ antiquissima nobili-
tas tanto melius intelligatur, verum etiam ius
in regnum Gallicanum, quod nonnulli ereptū
ipsi iuerant, tanto manifestius demonstretur.
nec tamen longius progrediar quam ad Lu-
douicum Nonum, qui postea ob vitæ integri-
tatem atque innocentiam Sancti cognomen
accepit. Fuit is in Franciæ Regum serie qua-
dragesimus quartus, regnumque ab Anno
MCCXXVH. ad annū vsque MCCLXX.
incredibili prudentia & pietate administra-

B

uit:

uit. quo anno in alterā illam vitam migravit,
duobus relictis filijs (nam è quatuor quos ha-
buerat, Petrus & Ioannes ante patrē deceffe-
rant) Philippo & Roberto: quorum ille, Phi-
lippus scilicet Tertius huius nominis, Audax
cognomēto, patri in regno successit, idq; po-
steris suis, siue è linea recta descēdenti, à patre
scilicet in filiū, vel è transuersa quoque, à fratre
nempe vel proxime agnato in fratrem vel proxi-
me agnatum, hoc ordine possidendum reli-
quit. Primus post hunc fuit Philippus Quar-
tus, cognomento Pulcer. Eum sequutus est
Ludouicus X. cognomento Huttinus: cui
suffectus fuit eius frater Philippus Quintus,
cognomento Longus. Hunc excepit tertius
frater Carolus Quartus, cognomento itidem
Pulcer dictus: quo sine liberis & fratribus de-
functo, Philippus Valesius proxima agnatio-
ne ipsum attingens, regnum occupauit. Hūc
ordine sequuti sunt, Ioannes: Carolus Quin-
tus cognomento Sapiēs: Carolus Sextus, cog-
nomēto Bene amatus: Carolus Septimus: Lu-
douicus Vndecimus: Carolus Octauus, in quo
altera supradicti Ludouici Sancti posterorum
linea deiecit. Porro Carolus Quintus duos ha-
bue-

*Valesiorū
stirps.*

buerat filios, Carolum scilicet Sextum, qui pa-
tri in regno successit; & Ludouicum Ducem
Aurelianensem. Hic è Mediolanēsis Ducis fi-
lia duos suscepit filios, Carolum videlicet Du-
cem Aurelianensem, & Ioannem Comitem
Engolismæum. Caroli filius fuit Ludouicus,
qui Carolus octauo sine masculis heredibus de-
functo, vt proxime agnatus, regnū est adeptus,
Duodecimus eius nominis, & Pater patriæ di-
ctus. quo itidem sine masculis liberis mortuo,
Franciscus primus, tamquam proximus agna-
tus, ad regnum peruenit; vt qui Caroli Engo-
lismæi filius, ac Ioannis supradicti nepos esset.
Franciscus primus Henricum filium, Secun-
dum eius nominis, successorem reliquit: post
quem tres ipsius fratres, Franciscus secundus,
Carolus nonus, & Henricus tertius, ordine re-
gnum tenuerunt. Extincta in Henrico tertio
Valesiorum stirpe, è S. Ludouici stirpe nemo
supererat, nisi Roberti minoris natu filij pro-
genies, cuius seriem itidem breuiter describe-
mus. Robertus is Claremontanus fuit Co-
mes, & in vxorem duxit Beatricem, Arcibal-
di Borbonij reguli vnicam filiam, vel, vt
alij

*Borbonio
rum stem-
ma.*

alij volunt, neptem, post soceri obitum Borbonensis regionis dominiū adeptus. E coniugio hoc natus fuit Ludouicus, qui postea Anno MCCCXXVII. Borboniæ Comes factus est. Huic duo fuerunt filij: Petrus, qui primus in eam familiam Ducatus dignitatem intulit, cuiusque stirps in Carolo Borbonio, in Romæ oppugnatione Anno MDXXVII. interfecto defecit. Petri frater fuit Iacobus Borbonius Marchiæ Comes. huic filius fuit Ioannes, qui Catharinā Vindocimi, Castri & Condæ Comitissam, vxorem duxit, omniumque earum regionum dominium suæ familiæ acquisiuit. Hic tres reliquit filios, Iacobum Ludouicum & Ioannem. Iacobus & Ioannes sine masculis heredibus decesserunt. Ludouico vero duo erant filij, Franciscus, & Ludouicus iunior. è quo Duces Mompenserij originē trahūt. Franciscus maior natu Mariam Lucemburgiam matrimonio sibi copulauit, trium ex ea filiorum pater, Caroli, Ludouici, & Francisci. Horum maior natu Carolus è Francisca Alenconia cōiuge quinque filios genuit, Antōnium, Franciscum, Carolum Cardinalem, Ludouicum, & Ioannem. Horum rursus maiorna-

tu

tu Antōnium Ioannam Albretanam Nauarræ reginam Anno MDXXIX. in matrimonium duxit, è quo Henricus Borbonius, vnicus post patrem Nauarræ regni heres, xii. Decembr. Anno MDXII. natus est. Atque hæc quidē natalia sunt magni nostri Regis: quorum ipsa series euincit, extincta Valesiorum stirpe, ad eum tamquam proximum agnatum, vt quæ Roberti S. Ludouici filij descendente masculina linea sit ortus, & nono eum gradu attingat, Franciæ regnum iure, vi legis Salicæ, pertinuisse.

Heic ego veniam mihi dari peto, Auditores, si nudam maiorum seriem enarrasse contentus, res ab eis præclare feliciterque gestas, aliaque innumerabilia regiæ huius stirpis ornamenta silentio præteream. Etsi enim omnia quæ à Fortuna, vel, vt magis Christiane loquamur, diuini numinis benignitate in Regem hunc nostrum in ipso ortu collata fuerunt, tam magna sunt, vt MAGNI nomen iam olim ipsi destinatum, statim omnes intelligerent: longe tamen omnium maxima sunt, quæ solus ipse patrauit, quorumque gloriā solus ipse merito sibi vindicare potest. Quare omissis il-

B 3

lis,

nis, hæc tantum tenui velut penicillo adumbre-
mus.

Henrici 4
Pueritia

I Ac primum Rex noster nobilissima ac ve-
tustissima omnium quotquot vniquam scep-
tra tenuerunt, familia ortus, Flexæ concep-
tus, Paurij vero procul ad Pyrenæum natus est:
vbi pueritia eius non inter molles & Principi-
bus vsitatos lusus & delicias, sed assiduas tam a-
nimi quam corporis exercitationes & labores
induruit atque adoleuit. Quid hic de summa
parentum in eo educando & ad omnem virtu-
tem informando diligentia dica? Matris præ-
ferri, femine lectissimæ & cui etiam Religi-
onis quam professa est, odium atque inuidia
non obstat, quo minus ab omnibus nostri &
superioris æui scriptoribus, vt singulare casti-
tatis, prudentiæ, candoris, omnium denique
virtutum speculum & exemplum de prædica-
tur. Vix dum septennis in Regiam deductus,
vnaq; cum Regia prole educatus, ea animi de-
dit specimina, vt iam de futura eius magnitu-
dine omnes augurarentur. Ea vero tum erant
tempora, vt vel eorum recordatione animus
contremiscat. Quid enim vsquam calamita-
tum inueniri, imo vel cogitatione fingi potest,
quod

Ciuites in
Gallia tu-
multus.

quod miseram Galliam tum non inundarit?
quum homines partim religionis zelo (recto an-
tepostero, nihil hic disputo) partim ambitio-
ne, partim etiã aliorum instigatu impulsu, bel-
lum ciuile atq; internecinũ excitarunt, & no-
uis subinde turbis occasionem dederunt, qui-
bus vrbes direptæ, desolatæ prouinciæ, inno-
cens sanguis profusus, miseri deniq; ciues ita
inter se commissi sunt, vt, tanquam feræ bestia
non prius mutua laniens, quam toto exhausto
regno, finem facturi viderentur. Ad publicum
hunc luctum Regi nostro priuatus accessit, pa-
tre optimo in Rhotomagensi obsidione Anno
MDLX. Nouemb. XVII. amisso: à quo iam
ante mater, ob diuersa partium studia, dissen-
tire coeperat. Supererat patruus Cardinalis, à
quo cognationis iure, omnia paterni animi
officia exspectare posset. at is parum à quo in
Henricum erat animo, eandem ob causam,
quod scilicet adolescens matris mo-
nita sequutus, Protestantium partes seque-
retur. sed vt insidias pueritiæ suæ paratas,
felicissime semper eluserat; ita adolescens
inter bella, amicorum trepidationem &
fugam, non modo numquam animum
abiecit,

Henricus
IV. exerci-
tus dux eli-
gunt Anno
MDLXIX.

abiecit, verum etiam mirum in modum per-
aduersitates creuit. Non multo post, quum
cæso ad Bassacum Condæo, magnis in angu-
stijs Protestantium res versarentur, à Caspare
Colinjomaris præfecto, ac magnæ experientiæ
viro ad exercitus reliquias deductus, vnanimi
consensu ac magna omniū gratulatione, sex-
todecimo ætatis anno, quo alij vix armis ferē-
dis idonei censentur, imperator siue dux salu-
tatus est; statimque prostratas aduersis proeli-
is quatuor suorum mentes in meliorem spem
erexit. Hic eius victorias tanto libentius si-
leo, quod in tali belli genere vinci & vincere
perinde calamitosum erat. Quanquam feli-
citatem nostri ducis ex eo facile quis colligere
possit, quod Rex paullo post non pacem tan-
tum, verum affinitatem quoq; , sorore in ma-
trimonium promissa, obtulit ac firmavit. Sic
igitur ætatis anno decimonono cum Magda-
lena Valensia Lutetiæ regali pompa & magno
hominum concursu nuptias celebrat, matris
morte funestas, quæ IX. die Quintilis in ipso
nuptiarum apparatu ibidem decesserat, mag-
no cum suorum dolore. Quo nuptias has se-
quuta vel comitata potius est lanienam, æter-
na po-

Anno MD
LXXII.
Augusti
XV. I.

na potius obiuione sepeliendam quam tan-
gendam hic censeo: quæ eadem Regem hunc
nostrum pæne absorpserat, nisi vitam ei meli-
ore fato, restituendæ olim rei Gallicæ, Deus
reseruasset. Regiam interim necessitate magis
quam voluntate sequutus, & in gratiam & gre-
mium Ecclesiæ à Pontifice receptus, quadri-
ennio post custodiæ, vt erat generosi animi, per-
tæsus, subito ex aula sese subducit, fugamque
hanc scriptis ad Regem literis, excusat, quod
scilicet comperisset, nouis se indies calumnijs
apud Regias aures traduci, adeoque nouam si-
bi custodiam fuisse paratam. Rupellam inde
profectus, bellum magna contentione gerere <sup>Res bello
gesta.</sup>
coepit; in quo paruis copijs magnos sæpe exer-
citus fudit, multaque oppida & arces expugna-
uit: donec tandem quinta pacis edictione Gal-
liæ regno quies est restituta, quæ tamen nequa-
quam diuturna fuit. Recrudescente igitur sex-
to ciuili bello, Henricus tanto diligentius sibi
suisque rebus prouidendū existimabat, quanto
in maiori periculo ob iactum in se Pontificium
fulmen, erat constitutus. nec ducis tantum, ve-
rum etiam militis obibat munus, felicitatem
suum vigilantia, indefesso labore, frigoris & æ-
stus

*Pugna
Coutrafi-
aca.*

stus patientia, & ciborum facilitate adiuuans, in vallo assiduus, noctes diebus in opere militari continuans, per glaciem & imbres interdum noctuque incedens, somni parcus, quem multoties interpellatū in equo, aut in nuda humo, substrato palliolo, quum vellet, sine valetudinis dispendio repetebat. Testes sunt quatuor, multis annis instructi, contraque ipsum producti exercitus, & varijs cladibus tandem in vnum redacti. Testis est Coutrafiaca pugna, in qua incertum est vtrum Rex noster maiorem militaris prudentiæ & fortitudinis, an moderationis laudem sit consequutus. Hostile enim exercitum triente ferè minorem, suos ipse armatus præcedens, tanta contentione inuasit, vt intra vnam & alteram horam ex hostibus imperator ac præcipui duces, cum magno militū numero interfecti, reliqui fugientes à tergo, nemo pugnans à fronte conspiceretur: tantoque lætior ei hæc fuit victoria, quod paucos admodum, & in his ne vnum quidem magni nominis, amisisset. Captiuos vero idem & vulneratos non verbis tantum humanissime appellauit, verum etiam re iuuic, & libertati sine vlllo pænè lytro restituit. Ac tantū abest, vt ex hac victoria maio-

maiores sumserit spiritus (quod quidē plerisque cōtingere solet) vt etiam ad Regem vltro miserit, qui pacem precarentur, eiusque cōficiendæ inirent rationem. Verum vbi surdis auribus tam salutare consiliū accipi vidit, totus iterū in belli cogitationē incubuit; ac tātō magis, quod tum de nouo contra partes suas inito federe multus sermo esset. Id quidē initio eius auctores contra Romanę Sedis hostes tantū percussū videri volebāt: cui tādē Rex quoq; Christianissimus Henricus, quāuis ægre admodū, post longā cunctationē, assensit. quū vero nōnullos tum Principes priuatorū fortunā supergressos, Regis tædere inciperet, iāque de eo in ordinē redigendo cōsilia susciperētur: Deum immortalē, quæ tragœdiæ sequutæ sunt! quum primū duo Principes, regis iussu, deinde Rex ipse monachi insidijs esset confossus. quod quidem detestandū parricidiū (lubenter magni nostri temporis Historici verba vsurpo) & regnum, & cum regno religionem ipsam inextricabili proculdubio inuoluisset exitio, nisi Princeps hic noster, insperato Dei salutis Gallix inuigilantis beneficio in ista tempora reseruatus, stantis columnæ instar, labantem rem publicā fulcisset, & præcipitem publicæ calamitatis obuia cuncta obterētis rotā virtute sua

*Henrici
III. Mors
Calend.
Augusti
Anno MD
LXXXIX*

sufflaminasset, quasi Deo manu ducente ex ultima Aquitania tum ad Regem moriente in siue deductus, siue ab eo euocatus, ne quis alius, præter legitimum hæredē, sedem regni vacuam breui futuram occuparet.

*Henricus
IV regnū
adipisci
tur.*

Venio nunc ad illam vitæ Regis nostri partē, è qua illud facile ostendam, paucos adeoq; vix illos ex omni memoria Principes tam pacis quam belli artibus huic nostro comparari posse. Primū enim, regnum tam hæreditatis iure quam prædeceßoris ac saniora sequentium consilia procerum voluntate adeptus, pro Deum immortalem, quot & quantis difficultatibus vndique tuit oppressus / scisso in factiones regno, & exteris oleum rebellionī suffundentibus. Causa prætendebatur, Religio; cuius libertatem quamuis Rex, (non ignarus suaderi eam posse, imperari non posse) iteratis edictis, suis indulisset : maluerunt tamen confederati illi (quibus consilijs, alij disquirant) ad extremum & incitas veluti redactam Galliam, quam Principem hunc in regio collocatum solio videre. Quum vero tantæ virtuti omnia cedere animaduertent, ad externa auxilia, nimis quam spontanea, conuersi, summa infimis

mis miscere studuerunt. Quis hic non vnà cū regni spe, tot pericula excipiendi, tot labores exantlandi pugnandi que ardorem abiecißet? Perstitit tamen Rex noster: & Deo ac causæ æquitate confusus, prona omnia & facilia sibi promittebat. Nec spes eum fefellit, multis quotidie è Nobilitate aduersæ partis ducibus ad suam adiunctis. Quis vero credat, mille & ducentis equitibus, & tribus peditum millibus Normandiam ingressum, complura oppida eum suæ potestatis fecisse, tanto que ipsos Rothomagenses metu perculisse, vt nisi Mainius, exteris auxilijs adiutus, cū tribus equitum, & quindecim peditum millibus sese obiecißet, breui cum primaria vrbe, vniuersa regio in deditiōem ventura videretur? Nec tamen, licet viribus multo inferior, inuicti animi Princeps, hosti cedere sustinuit, sed Arquesiæ, loco non admodum munito, sese includens, breuissimo temporis spacio eas munitiones perfecit, vt non modo omnem hostium irpetum eluserit, verum etiam secundis aliquot proelijs omnino fregerit, & quem victum iam & mox in triumphum Lutetiam abducendum hostes iactabāt, hostes idem vltro prouocavit. Inde acceptis ex

Anglia auxilijs exercitum numero exiguum, sed bellatorum fortitudine firmissimum, Lutetiam Parisiorum, regni metropolim, duxit: non tam expugnandæ urbis (vtpote qui nihil minus quam primogenitam regni sui filiam perditam, vellet) quâ fiduciæ ostentandæ & veniæ vltro offerendæ cōsilio: quo si nihil aliud perfecit, suos tamen vehementer animauit, & hosti certissimâ metus significationem expressit. Abducto Lutetia exercitu, quum Stampas ac Vindocimum nullo negotio expugnasset, à Regis vidua supplici libello ad vlciscendâ mariti sui mortē facile exoratus, Turonensi Senatui de cæde eiûsq; auctoribus cognoscendi negotium dedit; ipse veru in magna Nobilitatis frequentia pulcerrimo iureiurâdo sese obstrinxit, numquam se quieturum donec tam nefandum parricidium dignis & à iure præscriptis modis vindicasset. Turonas inde ingresso, Serenissimæ Venetorum Reip. Legati, primi felicia regni auspicia gratulati sunt. Mox Cenomannos, Brissaco nequicquâ opem fere tentante, ac deinde vno veluti accōtinuo victoriæ cursu, Lexouium, Ebroicenses, Bellimontium, Alenzonium, Vernolium, aliaque permulta oppida ad obedientiam coegit, vbi-

Victoria
Henrici
IV.

vbiq; ijs editis exēplis, vt in præcipua miseria- rum parte subditi illud numerarent, quod tanti Principis clementiam non prius quam vim experiri maluissent. Tot deditiones sequuta est ad Iuriam pugna, inter paucas maximè memorabilis: in qua Rex ipse cum paucis inter medios hostium globos versatus, & iam à suis perijsse creditus, ferro tandem aperta via, & armis vndique hostili cruore conspersis, tandem magna omuium gratulatione inter postremos ad suos est reuersus. Qua victoria potito, Medonta & Ver- nona vltro sese dediderunt. Iam quid ego de Parisiorum vrbe obsessa dicam? in qua licet multa essent, quæ vel clementissimum Regem ad malos male perdendos instigare potuissent, numquam tamen ab innata sibi mansuetudine deflexit, sed commiseratione magis quam vltionis studio ductus, illorum ipsorū quos vitæ suæ minime parsuros sciebat, vitam alimentis in extrema famis necessitate sum mittendis, vitam sustentauit. Effuso inde in regnum, Alexandro Farnesio duce, Hispanorum exercitu, à Lutetiæ quidem obsidione discessit, hostem tamen ita distinuit, vt nullibi securitatis haberet perfugium. Nihilo inde segnior, Corbolio, Pon-

Pugna
Iuriana.

Lutetia
obsessa.

Religionē
mutas.

Ponte Arſio, Nouioduno, multiſque alijs oppidis receptis, Rhotomagum ſæua adhuc ſpirantem, Germanorum copijs adiutus, obſedit: ac Farnesio obſeſſis auxilium ferenti, ruruſus vltro occurrit, abeuntem in ipſum vſque hoſticum perſequutus. Tandem ſupplicibus ſuorum votis exoratus vltro ceſſit, & in ipſo victoriarum curſu, maiorum religioni (quæ ſola hætenus rebellionis prætextus fuerat) nomen dedit, diu rogatam à Pontifice veniam tandem conſequutus, & in Romanæ Eccleſiæ gremium receptus. Nec mora. permulti quos antea inſeſtiſſimos expertus fuerat, repente poſitis odijs, oblatam reconciliationis occaſionem auide amplexi ſunt; quibus ille nō minus in igr oſcendo ſeſe facilem, quam antea in pugnando terribilem præbuit. Eſſi vero non deerant qui reconciliationem hanc ægerrime ferrent, vtpote conſilijſ ſuis maxime aduerſam: tandem tamen omnes tam ciues quam exteri in gratiam cum tam inuiſtæ virtutis Principe redire quam extrema experiri maluerunt. Sic igitur pax cum Hispanis Veruini, Pontificis aliorumque interceſſione, tandem facta eſt: quæ tanto fuit admirabilior quanto plura illi & munitiora in

Pacem
fecit.

ra in Gallia præuincijs, Britannia maxime & Normandia loca præſidijs tenebant. Pacato regno, ad pacis ſtudia conuerſus, nihil prius habuit, quam vt ſubditorum animos religionum factionibus diſtractos, Chriſtianæ charitatis vinculis ruruſus colligaret, edictis aliquot propoſitis & confirmatis, quibus magnam quietis ſuæ partem Gallia huc uſque debuit, & adhuc debet. O quam grata, immo neceſſaria miſeræ Gallia fuit illa malacia, perpetua hætenus, niſi quod ob res repetitas & non redditas, contra Sabaudiam arma mota ſunt: qua tam breui tempore ſubiugata, vt illud merito dicere poſſet, *Veni, vidi, vici*, & quod longe admirabilius eſt, victo reddita, ſereniſſimam Mariam Mediceam, omnium Regina digniſſimarū virtutum viuum exemplar, in matrimoniū duxit, rara fecunditate quinque iam liberorum partem. Huic regiæ ſtirpis felicitati non nemo quidem inuidit, & is quidem qui minime debuit. at eadem diuini numinis benignitas, quæ antea à Regis corpore parricidales non ſemel arcuerat manus, exitiabile conſilium in ipſum auctorem conuertit.

Bellum cō
tra ſabau-
diam.

Matrimo-
nium
Maria
Mediceæ.

Sic igitur tot cladibus feſſa & emaciata quō-
dam

D

dam

dam Gallia, in felicissimi huius matrimonij
gremio requiescens, purgatis vijs & sublatis la-
trocinijs, constitutis tribunalibus & iudicijs,
reducto agriculturę studio, restituta vsu com-
merciorum, contracta cum vicinis amicitia, re-
stauratis Musarum sedibus, omnibus denique
pacis artibus summa Regis liberalitate excita-
tis, non speciem tantum & colorem, sed sangui-
nem quoque & succum brevi tempore recupe-
rauerat, adeoque ad tantam felicitatem excreuerat,
vt vix illum toto orbe regnum cum eo comparari
posse videretur: quum ecce decumanus ex inopi-
nato superueniens fluctu, nauim, excusso rectore
in ipso portu pæne cõfregit. O fallaces hominum
spes! ô incerta vota! Suscepturus Rex iuuadis a-
micis & cõfederatis expeditionem, vt tutiora
omnia in regno relinqueret, Reginam XIII. Maij
inaugurari voluit, tanto omnium concursu &
acclamatione, vt pulcerrimus ille dies Gallię il-
luxisse, merito videri possit, non minori populi
quam Regis ipsius lætitia; qui tamquam futuri
præsagus, si sibi humanitus aliquid cõtingeret,
hac veluti altera columna regiam stirpem remque
publicam stabiliendam interim sibi putauit, dum
adolesceret illa, & imperio sustinendo parredde-

re-

cur. Luci huic per summam læticiam, pompam & fe-
stiuitatem transactę successit altera, quavis nocte
obscurior, & atro in æternum notanda lapillo, quæ
te nobis, Henrice, abstulit, & Gallię regno luctum
attulit sempiternum. Ecce enim, dum Rex inter ^{Cades}
medios triumphos & gaudia postero die arma- ^{Henrici}
mentarium petit, essedo vectus, nefarius quidam ^{17.}
homo, vel monstrum potius hominis, captatam diu
(sicenim fassem cum aiunt) occidendi regis, ob al-
terius rhedæ occursum occasione auide ample-
xus, in essedum insilit, Regem paucis familiari-
bus comitatum petit, & cultro ab humero inter
quintam & sextam costam defixo, iterato ac le-
thali ictu prosternit. Quid multis? qui tot anno-
rum spacio inter tot Martis pericula succreue-
rat, qui tot tamque continuis victorijs adoleuerat,
unicus tam militaris quam togatę Virtutis flos,
momento temporis recisus iacet, & marcescit.
Rex enim ictus, & in regium palatium reporta-
tus, quum ob copiose profluentem sanguinem
voce non posset, manibus atque oculis in cœ-
lum sublatis, religionem ac fiduciam erga Deum
suam testatus est, eidemque animam a quo acce-
perat, in manus rursus consignauit. Quam
vero tum faciem vrbs fuisse putamus? quos

D 2

gemi-

gemitus? quos planctus? quum omnes vtriul-
que sexus & ætatis homines per plateas primū
velut attoniti discurrerent, & obuios quid Re-
ge actum esset, percunctarentur: mox percep-
to rei gestæ ordine, & crudelissima Regis mor-
te audita, in luctum & lachrymas soluerentur.
Sed in primis quid animi optimæ & mariti a-
mantissimæ Reginae fuisse putamus, ad quam
non cruore conspersa mariti vestis, vt ad Iuliam
olim Pompeij coniugem, sed maritus ipse to-
tus suo sanguine cruentatus deferabatur? Quid
liberis? tibi præsertim Delphine Princeps, Rex
Christianissime, è cuius complexu vix digres-
sus parens, hei mihi quantum ab illo qui prius
fuerat, mutatus ad te redit? O omnibus suppli-
cijs dignum nefarium monstrum, qui vno ictu
quasi totum Vniuersi orbem è suis cardinibus
velut emouisti? Cur non tibi scelerata ista ma-
nus, quam Vincto Domini afferre ausus es, in
ipso ictu obtorpuit? Non te augustus ille aspe-
ctus & venerabilis canicies deterrere potuit,
quominus te ipsum, & quantum in te fuit, to-
tum regnum perditum ires? Ah fatum tuum,
Gallia, etiam quum fauere tibi videtur, in-
quum! Quorsum enim tot annorum quies &
felicitas

felicitas, si eã vnus nefarij hominis scelus erat
abrupturum, a quorsum tot annis congestæ
opes, tot admirandi operis excitata monu-
menta, si eorum sublato auctore, nemo iam ea
sine dolore extremo & vberimis lachrymis a-
spicere sustineat? O triduum admirabile, & cuius
simile vix vlla temporum habet memoria! O
miras gaudij & luctus vicissitudines! Ecce e-
nim XIII. Maij dies ob Reginae coronationē,
regia plane pompa, inter lusus, iocos, & festi-
ua conuiuia, publicamq; lætitiā transigitur,
ne nocte quidem lætitiæ experte. Succedit
altera: & ipsa quidem oriens, hesternæ veluti
gaudio adhuc madentibus, reliquias apposuit.
at iam ad occasum vergens, quo vis felle amari-
us poculum miscuit & plenis faucibus mox
hauriendum propinauit, dum mediam festiui-
tatem regio cruore resperfit. Sed ô miram Dei
benignitatem, etiam quum punit, miserentis!
Quid enim reliquum erat, nisi vt collapsâ vni-
câ hac columnâ, tota regni moles aut seditioni-
bus vnâ concideret, aut factionum studijs scis-
sa, insignem mutationem pateretur? Neutrum
fieri Deus voluit, sed sequenti die, vnanimi
procerum consensu, Reginae traditis regni gu-
berna-

bernaculis, & Delphino Principe rege proclama-
mato, prioris diei luctum quodammodo abster-
sit. Etſi profecto, Henrice, Rex, hei! quondam
optime, quæ ex obitu tuo Gallia percepit dolo-
rem, tantus est vix vt vlla vñquã dies remedium
ei allatura videatur. Scit enim & ſentit quid in-
te amiſerit, quo viuo, ne omnes quidem totius
orbis Principes nocere ſibi poſſe, perſuaſum ha-
bebat. Experta illa fuerat dexteram tuam victri-
cẽ; multa inuicti aduerſis pariter & ſecundis re-
bus animi documenta viderat; ſenſerat fidem
tuam, iuſtitiã, prudentiam, omnes denique Re-
ge dignas virtutes; nõ obſcura quoque diuini er-
gate fauoris perceperat indicia, tot benedictioni-
bus ſub te Rege cumulata: tantoque mortem tuã
fert grauius, quãto illa vita tua eſt indignior. Hei
me miſeram! inquit. Siccine vnus diei infelicitas,
tot annorũ mihi abrumpit ſecuritatem? Siccine
dux tortiſſime, inter mediã acies ſtriſto ferro to-
ties verſatus, ac mille hoſtiũ mucronibus & telis
petitus, vnus ſicarij manu peremtus iaces? Hæc-
cine innumerabiliũ tuorum in me beneficiorũ
merces eſt, quã non ab interitu tantũ vindicaſti,
ſed auxiſti quoq; & mirum in modum ornãſti?
Ergo ab exteris tuta, à meis ipſius alũnis, quos tã-
quam

quam ſerpentes in ſinu foui, impetor & cõuellor?
O tempora! õ mores! Quid igitur iam reſtat, niſi
vt cum Liberatore meo & Reſtauratore, vno eo-
demque condar ſepulcro?

Sed in hoc tãto meo luctu & mœrore illa vnica
me conſolatio ſuſtentat, quod te, ſereniſſima Re-
gina, cũ tota Regiã ſtirpe, in primis vero cum Lu-
uouico XIII. Rege Chriſtianiſſimo, voſque tam
togæ quã militiæ illuſtriſſimos duces, ſuperſtites
video: quibus ſaluis & incolumibus (quæ eſt ſum-
ma Dei benignitas) ſaluam me quoque & incolu-
mem fore nihildubito. Vos modo concordibus
animis & ſententijs in Rempubliã, pro ſui quiſ-
que muneris ratiõne, adminiſtrãdam incũbite,
& patrias in primis leges, tamquam alterum Gal-
lici Regni Palladium, diligenter cuſtodite: quo
ſeruato, nihil ab externis inſidijs ſuſpectum; amiſ-
ſo, nihil ab iſdem tutum eſt futurum. Sic fiet,
ſpero, vt quem ciues omneſque boni ex HENRICI
IV. Regis incomparabilis morte conceperunt
mœrorem, iſ veſtra omnium, ſed tua in primis,
Ludouice Rex, virtute & felicitate tãdem aliquo
modo leniatur.

CENO-

CENOTAPHIVM.

Adsta Viator,

Quisquis es, & si vel properas, pauca hæc lege.
Haud, credo, moræ te pœnitebit.

Hic situs est

HENRICVS QVARTVS, CHRISTIA-
NISSIMVS FRANCIAE ET NAVARRAE

hei! quondam Rex:

Verus Galliaë Hercules,

Monstrorum domitor;

Belli fulmen:

Pacis redhibitor:

Regni restaurator:

Amicorum gaudium & deliciae, hostiũ metus.

Patriaë denique Pater.

Quo fato peremptus rogas?

Hei? sicarij manu.

Abi. Viator: & si viuum non vidisti, vel
bustum eius te vidissè gloriare.

Maioris enim Regis non facile videbis.

BORBONIVS iacet heic HENRICVS. *sat tibi, Lector,
Dictum. nam maius dicere nil potui.*

ÆTER-

ÆTERNÆ MEMORIÆ

HENRICO IV.

GALLIÆ ET NAVARRÆ

REGI.



QVALVERE Virtus & Fortuna, ut
socijs dexteris Magni nomen, tam-
quã dotale pignus, erogarent in hunc
Principem, ac ter magno illius inscri-
beret vertici, tamquam electissimam
gemmam operosissimo oblaqueatam auro. Quem
vita miracula loquuntur Incomparabilem, hunc
Flesciam concepit, felici omine enixa est Pavium, in-
fantiam Corasium fovit: ubi agrarijs plurimum
exercitationibus corpus mentemq; induravit, ut
ex assidua cum incommodis suis lucta, verum ro-
bur colligeret, ne educationis mollities degenerem
animum daret, magna iam tum spondentem. tri-
tum illud: Contemptum periculorum, eorumdem
assiduitas facit. & Solidissima corporis pars est,
quam frequens usus exercet.

Aetatis anno septimo traducitur in Regiam,
ut quorum diademati succidaneos aliquando sup-
poneret humeros, tamquam Hercules Atlanti,

E

eorum

eorum iam tum consuetudine assuesceret. Nec multò, Patris discit mortem, secessionem Matris, Patruum infauentiam: ita nulla felicitas diu stetit illaesa. iacent amici animis fracti, exilio serui.

Partium dux Sextodecimo aetatis anno partium dux, prostratas aduersis proelijs quatuor, mentes suorum erigit, manu tuetur & praesentia: tantum in omnem partem valet destitui & firmari duce. Aetatis anno vndeagesimo iungitur nuptijs, non perennaturis, & funestis Matris morte, suorum proscriptionibus, libertatis quadam expileatione, & seruitutis iniectioe. Exiit hac se tandem, ac induit noua, non & maiore: qua plurimum implicantur quotquot ciuilibus imperant bellis. In quibus adequata illi semper cum milite pericula, quum non ducis modò, sed & militaria obiret munia: doctus, illa imperia valere, quae ab imperantis manu initia ducunt; donec in quietis portum, peritus nauclerus, positus ciuilibus fluctibus, suos susteret, quinta demum Pacis edictione. Non stetit diu hac malacia, versa in decumanos fluctus, quae olympiade non una in-

structissimos exercitus quatuor, Gallici robur imperij, exoneravit in unum. Pugna Coutra-siaca, orientis post tot occiduos soles spei clarum sidus, metum iniecerat, quibus non poterat amorem. Successit mors Principum duorum. *Mors Guisianorum Principum.* vidit in hac Gallia, in amphitheatrali suorum sanguinum ludo, editores extraneos, & ingemuit. Rex exinde, obfesso apud Turonas quam imperanti similior, expertus est fortunatas has ereptrices manus. quae etiam stitissent illum in Vrbe sua Principe, nisi insigni parricidio praecisa felicitas, in medio cursu deseruisset properantem. Sed ò fatorum ignara hominum mentes! Quis similem exitum liberatoris tum praesagisset?

Luxit debinc Gallia, & secta in partes cum nequidquam in oligarchia spem posuisset, amplexa est Regem, & in eo causa aequitatem. Sensit hic Rex validissimum Europa robur in se versum, hostium insolentiam, frigus suorum. Bella ex his initijs secuta, urbiumque tot prope oppugnationes, quot sedes. è quibus enascentia pericula, tamquam hydram secundis vulneribus renascentem, meditata domi, repa-

Vibes re-
cepta.

stinat in agris. Felix Diepa, parentia militaris
nobile documentum. Ibit Arquesia in postuma
exempla inuicta mentis. Parisii stupent inequitā-
tem portis, ac triumphali cataphraete indutum,
minitantemq; ac prouocantem vltro, quem vi-
ctum credebant. Vindocimum, Cenomani, Lexo-
uium, Ebroicenses, Alenconium, Vernolium, ce-
dunt armato. Melanium vitam suaq; illi debet.
Turiacum denexam capiti coronam, nectit. Me-
donta & Vernona venienti occursant. Melodu-
num temerarij ausus pendit pœnas. In S. Dio-
nysio aternaturis se oblectat monumentis. Hoc su-
perest post hanc vitam, factaq; fortia. Parisien-
ses perierant, vetuit perire. Corbolum postquam
ruina sua inimicam propè sepeliuisset aciem, re-
ceptum, vigilantiam testatum est. Pons Arsius
mixtus ductricem manum, constantem Carnu-
tum, animatam Nouiodunum, excubātem Lou-
uiacum: Albomalla profusi testis sanguinis, Rho-
tomagum extrema passum, vltro videt occurrentē
hosti: quem Iuetotium soluit ordinibus, tegit Cal-
dobequium fugientem, trepidantem Aspren-
ciacum, dedecorant Druidæ. violentate ciuitates
testantur robur, fidem qua fidem secuta, clemen-
tiam in sperato capta. Nulla quem dies vidit ca-
dentem

dentem, nulla non vidit vincentem. idemq; Deus
qui in maiorum locauerat sede, sceptro, diadema-
te, parricidales arcuit manus, firmavitq; men-
tem praprouida futurorum cognitione, qua im-
mortales Gallia secessiones morti damnat, ro-
uaque in semine suffocat cogitata mala, nimium
secundo commissa solo. His triumphis adnectit
victoriam sui (hoc est Regis, se vincere quum
vicerit reliquos) exercatque brachia veritati,
antè refuga. decurrit ad Ecclesiam, agnoscit filius
matrem, & Christianissimi nomine insignitur in
Templorum omnium retrò veterrimo. qua quasi
falce precisus omnis malevolentia ausus, proborū
detersus metus. Meldæ, Lugdunum, Aurelia, Bi-
turiges, agnoscunt Regem. Sed & hostes, nudo se
suaq; Regio permittunt verbo: certi non alia illius
esse labra, quàm oraculum falli nescium, nec cor a-
liud, quàm oraculi sedem templum. Parisii recepti
loquuntur clementiam, rediuiuā sentiunt Iustiti-
am, Securitatem & Felicitatem comites: videtq;
verum pectus Regium, quod nec metuere nec odif-
se didicit hostes, quos etiam armatos benigno pro-
sequitur fauore. Stetit Laodunum hostile mona-
mentū, Francofontana, acerra decinerati fastus.
Quæ secuta ciuitates fuerant in hoc regni turbine

Castellis
facinus.

Ecclesia
Reconcilia-
atur.

Parisii
deum ad
Regem.

inclinationem maiorum, earumdem imitata serenitatem. Burgundiam stringit firmiore nexu, totque annorum ciuilia bella mergit in Clementia sua Oceano, quum etiam supplicia vertit in pramiationem. Pacat Prouinciam: domat efferrum Fera pectus. Massilia libertatem recuperat, libertatis ereptore sublato. Indicit Rhodomagensium comitia publica quieti, salutarium edictorum robore. Iberia, Ambiano recepto, cum vim sensisset aequitati cedere armisque Gallicis, optata demum pace, communi potissimum Christianorum, Parente adlaborante, finit bella, bellique premia captas restituit vrbes. Exultat Britannia secuta victorem, pace quam armis felicior. Hinc etiam Alpes oppugnatae, non expugnatae: ita nihil virtuti imperium. Montmeillanum trepidat, solo discingitur obtutu. Pedemontanus ager fit Gallici limes, nec longe aberat Mediolanum, stupente Italia: verum his armis sua venerat, non aliena vindicaturus. Nec stitit hunc cursum iniquior fortuna. unicum repressit publicae quietis studium. Redit hinc triumphis diues; ne solus, sociam sibi adsciscit serenissimam MARIAM, a caelo iam ante Virtutis Reginam, quam Galliae designatam: in qua affluentiam

Pax cum
Hispano.

am donorum, praecedentium videas coronamentum, liliorum decus immortale.

Haecenus reliqua. Vna iacebat Iustitia seueritas: quam passus in unius sauire caput, metum in plures, exemplum in omnes sparsit. Diffolat deinde molimina improborum, in Regni nata perniciem; euertitque cogitationes eorum, qui peiora secuti, priora semper bella sequentium designant semina, aeterna redanimatione. Remediatur diligentia vlcerebus, quae aut neglectu aut mora si inualuissent, omnem fugissent medicam manum. Ergo venit, vidit, vicit. Sedanum illius aspectu, tamquam ictum fulmine, iacuit exanime, temerarium terror. Iam quidquid volet, lex esto; quidquid sua serit, imperium: ea est prudentia opinio, quam et Romani venerantur, laudat Italia, fatetur Belgium, consiliorum illius aquilas secutum.

Felicia pacis auspicia, optata quies quinque et triginta annorum sanguine parta. hac vinculat inimica, calentes adaequat, gelascentes intepidat, redanimat studia, rescindit exilia, negotiationes et mortuas artes nouo vestit flore. ut iam Gallia perisse censerit debeat in salutem, hostilique manu cecidisse, ut illius surgeret usuraria largitione; post spolia nimirum fenore interitu. ita natali

Biron
Mors.

Batavi-
ca Indu-
cia.

tali funere decedens atque succedens iterum Phœnix seipsum funerando renouat. Semper AUGUSTVS, Verendus, Amatus, excrescere videt quinque frutices Regiâ consitos manu, rorariâ germinantes aspergine diuinâ, Galliæ bono.

Multiplex regis virtus.

Quocunque se vertit, elucet Pietas, Magnificentia structoria, Prouidentia æraria, Liberalitas donatiua, Iudicium in delectu, Promittitudo in responsis, Magnanimitas in fortuitorum euentu, Fides in fœdere, Moderatio nullo non tempore, in agendo Prudentia, Iustitia in omnes. Tam infractus doloribus, quâ inimicus est otio. Et quo alio incanuit Regius vertex si non vigili curâ? Jam lauri, tempora inorantes, quid nisi Victoriæ manu è tribus iustissimis proelijs, è quinque & triginta armatis congressionibus, è quadraginta supra centum proelijs regiâ pugnatis manu, è trecentis locorum oppugnationibus, decerpta? His creuit ingès decus, quo singulari Dei munere, Propugnatores agnoscimus tranquillitatis publicæ, publicique Status redhibitores, Ecclesiæ ornamentum, Christianorum Arbitrum, Orbis Delicias. Sed heu quam crudeli manu nobis ereptas!

CASPARIS DORNAVI,
ILLUSTR. BETHANEI
RECTORIS,

ALLOQVIUM,

QUO,

CL. VIRO,

DN. BALTHASARE EXNERO

DE HIRSCHBERGA,
PIIS MANIBUS.

SERENISS. ARCHIDUCIS,
MAXIMILIANI τὸ μακαριῶς,
PARENTATURO,

STUDIOSAM IUVENTUT.
AD PANEGYRIC. ORATION.
INVITAT, EXHORTATUR.



BETHANIÆ,
TYPIS JOHANNIS DORFFERI.

ANNO MDCXIX.